



The Holy See

IOANNES PAULUS PP. II LITTERAE APOSTOLICAE **NOTAE SUNT SANCTA FAMILIA IESU, MARIAE ET JOSEPH, PATRONA APUD DEUM DIOCESIS CAMPI LIMPIDI CONFIRMANTUR** Ad perpetuam rei memoriam. – Notae sunt pietas ac veneratio quibus Sancta Familia Iesu, Mariae et Joseph colitur a fidelibus dioecesis Campi Limpidi. Quam ob rem Venerabilis Frater Aemilius Pignoli, Episcopus Campi Limpidi, communia cleri populi vota excipiens, electionem Sanctae Familiae Iesu, Mariae et Joseph in Patronam apud Deum dioecesis sua peregit rite, itemque petivit ut huiusmodi electio ab hac Apostolica Sede confirmaretur. Nos vero enixis eius Venerabilis Fratris precibus libentissimo animo obsecundantes, comprobatis iis, quae Congregatio de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, factis a Nobis facultatibus, hac in re egit, Apostolica Nostra potestate, harum Litterarum virtute perpetuumque in modum Sanctam Familiam Iesu, Mariae et Joseph Patronam apud Deum dioecesis Campi Limpidi confirmamus, omnibus factis iuribus ac liturgicis concessionibus, quae in Normis de Patronis constituendis nec non in Instructione «de Calendariis particularibus atque Officiis et Missarum Propriis recognoscendis», n. 30, indicantur. Contrariis quibuslibet rebus non obstantibus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XIII mensis Septembris, anno MCMXCVI, Pontificatus Nostri sexto decimo.* ANGELUS card. SODANO

Secretarius Status © Copyright 1994 - Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana